


Notarum explicatio

- † Archiepiscopus
- † Episcopus
- Academia

Veteres Urbium et Promontoriorum  
Appellationes majusculis designatu-  
mus hae forma. ASTVRICA  
etc. Recentes vero hae: Astorga.




Janssonius  
C. 1662



LEGIO ET ASTURIA.

Illud autem memoria dignissimum est, quod à Legionem urbe recuperatio Hispaniæ initium sumerit, circa annum Christi 1500 XVI, postquam totam fere Maurorum & Saraceno- rum gens occupasset. Pelagius enim ex regio Gothorum sanguine, Fasila Cantabriæ Ducis filius, à Christianorum, qui in montosa loca Asturiæ confugerant, reliquiis Rex saluatus, magna strage Maurorum edita, vix regnum orsus, hosti Legionem eripuit; ac ibidem sedem sui Principatus figens, novum Castellum, quasi propugnaculum, adversus barbarorum vim & incursiones extruxit. unde Comites deinde Castellæ dicti, Rejctis autem & spre- tis Gothorum Regum insignibus, Leonem sumit rubrum in albo campo sævientem, quo insigni hodieque Legionenses Reges utun- tur. Pelagio in regno successit Fasila filius. huic improli Alphonfus Catholicus, Petri Cantabriæ Ducis filius, ex stirpe Ricaredi Catholici Gothorum Regis oriundus, qui uxorem duxerat Ormisendam Fasilæ sororem

unicam & heredem. In Alphonfi familia pos- terisque Legionis Principatus mansit usque ad Veremundum, Regem Legionis XXIV; qui anno 1120 XX sine successore defuncto, Sanctia soror, Ferdinando Navarreo, Castellæ Regi nupta, Legionense regnum ad Castella- num transtulit. Huic cum tres essent filii, San- ctium quidem testamento Castellæ Regem; Alphonsum Legionis & Asturum; Garciam denique Galleciæ (quæ à conjugis majoribus acquisita, Comitatus ad illud usque tempus fuerat) & Portugalliæ nominavit. Sanctius, divisionis paternæ impatiens, fratres, Alphon- sum regno exiit; Garciam necavit. Cum jam sexennium circiter regnasset Sanctius, & à Vellido fraude esset interemptus, Alphonfus, qui Toleti apud Maurorum Regem exul vi- xerat, non solum Legionis, quod ex patris vo- luntate obtinebat, recuperavit; sed & Castella, Galaciæ, Portugalliæque regna est conse- quutus. Hunc sequutus est Alphonfus VII, Hispaniæ Imperator vocari meritus.



LEGIO & ASTURIA.



**T**ITULO Castellæ tenentur ab Hispaniarum Rege Le- gio & Asturia. Legio Se- ptima Germanica, Nervæ, ut videtur, Imperatoris principatu stativa sua ha- buit ea in Hispaniæ regio- ne, quæ nunc Legio dicitur, vulgo *Leon*; ha- berque ad Ortum & Meridiem Castellam; ad Occidentem Galleciam; ad Boream, Astu- riam. Coluere hæc loca initio Vettones, quos Ptolomæus *Βεττωνες* vocat, à quibus Emerita Prudentia vocatur *Clara Vettoniæ Colonia*. Por- ro Vettones postquam primum in Romano- rum venissent potestatem, prout refert *Ælianus* lib. VII variar. cap. V, conspicati quosdam Centuriones, qui exercendi sui causa deam- bulabant, confectio que uno spatio, redibant eadem quasi linea, idq; faciebant identidem; primum rem novam in admirationem traxe- runt; postea re expensa judicaverunt eos insa- nire, neq; enim esse eorum qui saperent, ean- dem viam toties ire & redire; itaque se ipsis obtulere, qui eos in tabernacula deducerent, rati militis esse vel pugnare, vel iter facere, vel à labore quiescere.

Oppida habet Legionem, Astorgam, Pa- lentiam, Zamorram, Salamancam, & civita- tem Ciudad Rodrigo. Metropolis est Legio, quæ Ptolomæo dicitur *Λεγιον (Ζαργαδική)*; Anto- nino *Legio Gemina*. Legionensis urbs, inquit *Nonius*, hoc ævo nobilissima, & templo pul- cherrimo conspicua; augustum sacrarium ha- bet, in quo XXXVII Reges & unus Hispaniæ Imperator sepulti sunt. Sic enim de eo scribit *Marinæus Siculus*: *Etsi templum quod ætate no- stra civitas Hispalensis ædificat, aliis omnibus magni- tudine præstat: etsi Toletanum cunctis aliis divitiis, ornamentis & specularibus fenestris est illustrius: etsi denique Compostellanum fortioribus ædificiis, & S. Jacobi miraculis & rebus aliis memorabilibus est: Le- gionense tamen artificio mirabili, meo quidem judicio omnibus est anteponendum: in cujus claustro sacel- lum est, in quo jacent Reges septem & triginta, & unus Hispaniæ Imperator. Urbs nullius pene rei indiga est.*

Astorga. Astorga parvum oppidum, sed munitissi- mum natura. Agrum illius perlabitur fluvius Torto, optimas trutas nuttiens. Astorgæ vi- cinus est Sanabriæ lacus, unam leucam lon- gus, vix dimidiam latus, quem permeat flu- vius Ter. Undas volvit instar maris exigui, pi- scosus admodum. Comes Beneventanus in medio lacus magnificas ædes habet super ru- pem conditas.

Palentia. Palentia oppidum ad ripam fluminis Carra- con, antiquum & nobile, Episcopatu illustre, qui ditissimis Hispaniæ accensetur.

HISPANIA.

Zamora urbs ad ripam fluminis Durii, pon- tem habet magnificentum, & agrum supra mo- dum fertilem. Urbs egregie munita est, totus- que tractus Zamorensis scaret divite vena la- pidis Cyanci, vulgo *Turquesa*. In ditione illius est Sagiago, multis exiguis pagis habitata à gente rustica & invenusta, tam in sermone, quam in corporis cultu atque vestitu.

Salamantica Academia toto orbe celebris Castellæ veteri nunc accensetur, fluvio Tor- mis apposita, qui se in Durium amnem exone- rat, non solum læto agrorum proventu felix, sed & Episcopali dignitate & Equitum fre- quentia conspicua. *Marinæus* hic suo tempore septem millia studiosorum recensita scribit.

Ciudad Rodrigo à Ferraneo Rege Legionis condita, eo loco, ubi quondam fuit Mirobri- ga, ut munimentum esset adversus Portuga- los. Sunt præterea hic multa municipia, inter quæ maximi momenti, Villa Franca, Cacabe- los, Ponferrada, Vierzi agri copiosissimi ca- put, Ponte della Reina, Orzanaga, Ledesma natura loci admodum munita, & annonæ co- pia dives. Sub se trecentos octuaginta habet vicos, qui circiter sedecim millia focorum continent: Betanzos, Mansilla, Villalpando, Beneventum, Saldagna, Medina de Rio sic- co, Tordesillas, Toro, vino & fructibus ab- undans.

Methymna cognomento Campus, etsi sæ- pius incendium passa, soli tamen ubertate, nundinis & mercatorum commerciis ditissi- ma, honorificis privilegiis à tributis & veſtigalibus immunibus. In qua neque Rex habet of- ficium, nec Pontifex sacerdotum, quæ res po- tius mali, quam boni causa est: propterea quod in sacerdotiis & magistratibus conferendis incolæ plerumque crudelissime digladian- tur.

ASTURIA ad Oceanum Cantabricum Gal- leciam sequitur, montosa & siticulosa regio, sed metallis dives. *Silius Italicus* de istis:

— *Astur avarus,*  
*Visceribus laceræ telluris mergitur imis,*  
*Et redit infelix effosso concolor auro.*

Huic populo metropolis est Oviedum, ex qua originem ducunt *Idalgi*. Ptolomæus *Lucum* vocat *Asturum*. Hic Astorgam quidem locant, quam *Plinius* & *Antoninus* *Asturicam* nomi- nant. Atque hac sive urbe, sive provincia *A- sturcones* equi nomen habent, & pretium. Ptolomæo vocatur *Αστυρία Αστουρα*. Asturia, in- quit *Boterus*, à flumine Ribadeo se extendit ad Santandrum. Hoc ævo, inquit *Nonius*, divisa est in duas partes, Asturiam d' Oviedo, & de Santillana dictas. Metropolis Oviedo refu- giium quondam fuit Hispaniorum & Gotho- rum, cum Arabes Hispaniam invaderent.

F Illud

6165